

ntione, ipsaq; secunda Naturæ. Eorum, quæ *Prima* vocantur, exemplum apud *Gellium* & *Grotium* est studium tuendi corpus, ita ut unusquisq;, cum utrumvis liceat, aptas malit & integras omnes partes corporis quàm easdem usu imminutas & detortas habere: *Secundorum* apud *Gellium* est, prælatio decori & honesti, quando ejus dignitas præ cæteris omnibus enitet ac præfulget. Quæ exempla, non minùs ac descriptiones ipsæ, ad statum animalitatis τὰ πρῶτα, ad humanitatis τὰ δεύτερα, referenda esse, ostendunt: quo etiam sensu illa *Cicero*, dictis locis, *Naturæ principia, initia, primas conciliationes*; hæc *Gellius* cit. l. *reputationem subtiliorem & exploratiorem delectum* vocat.

TH. III.

I. Exempla
è Tertio
Genere.

Hæc verò distinctione cum abusi sint Stoici in eo, ut probarent, sola honesta esse verè bona, cum hæc ad secunda tantum, jucunda verò atq; utilia etiam ad prima spectent: *Neq; enim*, inquit *Gellius* l. c. *aliud esse verè & simpliciter bonum nisi honestum, aliud quicquam malum, nisi quod turpe esset, existimatum est: reliqua omnia, quæ in medio forent, ac neq; honesta essent, neq; turpia, neq; bona esse, neq; mala, decretum est*: hujus tamen sententiæ falsitas tum è Statu humanitatis, tum Christianismi, & ex hoc quidem certissimè, agnosci & refutari potest. Illum nimirum si cum Peripateticis adcuratiùs inspiciamus, utilia pariter atq; jucunda nomine bonorum verè talium non indigna esse, deprehendimus quidem; sed si Statum Christianismi consulentes observemus, illa inter objecta & effectus benedictionis divinæ in S. Scripturâ passim numerari, adeoq; ab ipso DEO pro bonis haberi, nullum superest dubium, quin verè talia sint & dici possint.

TH. IV.

Abusum etiam aliquem ejusdem distinctionis invenis apud *Grotium* d. l. quando τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, ad Jus Naturæ, tametsi in gradu inferiore refert: *In examinando*, inquit, *Jure Naturæ primum videndum, quid illis naturæ initiis congruat; deinde veniendum ad secunda*. Sed & hunc abusum facilè vitas & declinas, si è Statu Christianismi notes, Jus N. pertinere ad reliquias imaginis divinæ; quæ sanè, non minùs ac totum olim suum, statui humanitatis sunt propriæ. Hinc argumentamur. Quicquid unicè ad statum humani-